PUBLICA
PRO-CATHEDRA
MEDICA DISSERTATIO
DE COCTIONE

Qua ex magni Boerhaavii Institutionibus, præcipuè ex §. 87. num. 4. ex 200. num.s 3. 4. 5. 6. 7. & 8. & ex 945. aliquæ deducuntur

THESES

DE MORE DEFENSANDÆ A BAC. D. MARCELO Sanchez Reboto, in ejusdem studii secundo curriculo versante, qui de cunctis, & singulis ad *Physiologiam*, *Pathologiam*, *Semejocticam*, *Higienem*, & *Therapeuticam* elementalitèr pertinentibus, interrogatus, respondet.

Præside, Dictatoreque adstante, Præceptore suo (ut legis est)

D. D. JOSEPH A PINILLA ET VIZCAYNO, Doctore Medico, & in eadem Universitate Complutensi Aphorismorum, & Prognosticorum Cathedræ Regio Moderatore, nec non & Regalis Academiæ Medico=Matritensis Socio.

CUM SUPERIORI PERMISSU.



Hæc est veterùm coctio, quam posthabere, nonnullorum sciolorum more, vix citra piaculum licet,

Lieutaud *Praxi Medica, part. secund. de Laxantibus, & Catharticis.*

SANCHEZ REBOTO, M

MECOENATI ORNATISSIM(

MICANTISSIMO PRÆSULI,

REV.MO PAT.

FR. FRANCISCO LIMINIANA

Ordinis Sancti Joannis de Deo

GENERALI PRÆSTANTISSIMO, &c. &c. &c.


HAS MEDICO-BOERHAABIANAS THES.

IN GRATITUDINIS SIGNUM

D. O. C. Q.

Suus devinctissimus Cliens:::-

BACC. D. MARCELUS SANCHEZ REBOT(



Nexplebilem fermè, latissimisque circumqua confinibus stipatam voluntatis aream, placidè datam dum persentisco, REVERENDISSII PATER, *id unius singularis excellentiæ tuæ dotibus deberi, p serere, præterquam jubat, sinceræ gratitudinis apertæ om bus, nec interruptæ unquam beneficæ erga me, meumque Par tem tuæ probitatis aculeis percitus, compellor: interea quod q*

rum virtutum fulgura, ut cunctorum animos, ita & meum mi-m in modum ad te abripiunt: præclara undique tua gesta im-rtale per orbem tuum propalant nomen; sivè namquè Cœlestis ppè spectetur pietas, qua supremæ, & onerosæ admodùm digni-tis curis gravatus licet, matutino, vespertinoque tempore om-m primus Divinis interes Officiis; sivè congenitus tibi atten-tur litterarum, harumque cultorum amor, cujus gratum mo-mentum, tuis sumptibus viriliter erectum, feliciterque consum-ndum Complutense Collegium in seram colet posteritatem; sivè grantissima speculetur charitas, qua spretis omnibus, tui-tque quasi oblitus xenodochiis languentium commodis invigilas, ius immortale testimonium reddere debere Matritense, Occa-nse, nec non & Oroliense Cœnobium tuis mandatis, & pretio ditùs fermè eversa, inque novam omninò redacta formam, me-ò testantur; sivè alia quævis ingentia semper in te contem-ntur, supra omnes ubique præstantissimus apud tot nationum nines resonare cogeris: tot igitur jam virtutum, sed humani-tis præsertim suavitate ductus, tuæ celsitudinis limina meis ce Thesibus ex florido Institutionum Medicarum Campo de-ptis, pertingere haud vereor, REVERENDISS. PATER: *nti hæ Patroni ansâ contra calumniantium insidias, & stulto-n strepitus undiquè firmitèr evolabunt, & celeritèr) non re-ıs itaque Clientis obsequiosi tenue oblatum hocce, illud bene-lentèr admittere dignare in gratitudinis perenne pignus, ut me beneficiorum memorem gerendo, divinum queam implorare au-ium, quo in tuorum factorum prosperitate incolumis pergere*

QUÆST. PRINC. PROPON. inquirit.

¿Utrùm Dogmata Chymica Recentiorum usui Medicinæ practico inserviant necessario?

RESP. AFF.

PRIMA THESIS.

ALimentis solidis, vel fluidis utentes Homines vivere, nemo non videt: vegetabilia, & animalia, cruda, vel præparata ingerentes ipsosmet, vigere, vegetare, atque refici, quotidiana experientiâ patet: omne corporeæ molis ex minima, granulo cuilibet tritici exiliori particula à Parentibus accepta, mirabile incrementum solis debere alimentis, indubitabile tenetur, non minusquè perfectum efformari increscens animale corpus, sivè ex lautissimo victu, sivè ex atterrimo pane, & sola aqua, animales coadunentur partes, observant prudentes, qui judicant, aliquid esse in ipso animali, quod ex aqua, & pane, aut ex quibuslibet aliis, à sua natura alienissimis, idem specificè confiat corpus; non aliud refert magnus Boërhaavius. (*a*)

II.

NEque pro aumento tantùm corporis viventis, & perfectione Humanarum operationum, alimenta deservire, aliquis credet, attenta quotidiana partium corporalium

(*a*) [illegible]

lium expulsione, vi vitæ, vel sanissimæ, producta, & totius corporis diminutione considerata, vel potiùs extenuatione, quæ ex sola notabili alimentorum privatione exoritur, & ab ingestorum salubrium moderatâ copiâ cessat, sivè ex sola partium fluidarum deperditione, & successiva restitutione, ab omnibus Phisiologicis admissa, illud proveniat, sivè firmarum deperditio, & alterna reparatio, continuo plus, minusvè, notabilis intersit, ut celeberrimus tenet Albertus de Haller (*a*) contra clarissimos plurimos Medicos Scriptores, Recentiores magna ex parte.

III.

QUinimò prædicta in viventibus non interrupta elementorum prioris corporis deperditio, quam, vel in ipsis juvenibus contingere, & novis staminibus sarciri, necessarium esse, loco citato tenet idemmet Haller, causa credita est præcipua, & *sine qua*, non fieret alimentorum conversio, & illorum attractio, seu nutritio perfectiva puerorum; ita credebat Petrus Garcia Carrero (*b*) cum Avicena, (*c*) sed illis opponitur Noster Heredia, (*d*) & meritò quidem, namque ex ipsius doctrina, & ex Boërhaavii affatu, (*e*) nec non Haller, (*f*) si sola resolutio, aut deperditio partium esset causa attractionis, seu nutritionis in pueris, non esset major hæc, quam illa, ut requiritur ad aumentum corporis, & ut petit cordis major vivacitas, & irritabilitas, simulque major vassorum numerus, & teneritudo in junioribus, reperta, majoremque alimentorum copiam expetens, admonente Hyppocrate. (*g*)

Du-

(*a*) *In lib.* 30. *sect.* 2. §. 2. *& seq. Elem. Physiolog.* (*b*) *In disp.*38. *part. nat.* (*c*) *Fen.* 21. *tract.* 1. *cap.*2. *lib.*3. (*d*) *In quæst.* 7. *de Cost.* (*e*) §. 465. *Instit.* (*f*) *Lib.* 29. *sect.* 4.

IV.

DUplex igitur ab alimentis beneficium, vel unum diversimodè, considerandum, nempè I. restituens deperdita, & jam habita adaugens in junioribus, & II. in consistentibus tantùm reparationem efficiens; in hoc secundo erimus; sed cum & istud, duo importet paritèr requisita, videlicèt: præparationem alimentorum, & eorum opportunam, appositionem, propterea triplicem actionem consideramus concurrentem pro illis peragendis, scilicèt: chilificationem, sanguificationem, & assimilationem, quæ tres actiones à toteisdem Facultatibus oriuntur principalitèr, sicut & ab aliis ministrantibus, prout à Galeno exprimuntur, (*a*) cui non opponitur Boërhaaviana doctrina, etsi majorem lucem ad opera naturæ lustranda præbeat.

V.

NEc de perfecta assimilatione, aut conversione totali alimentorum pro nunc sumus soliciti, sed unicè de ipsorum præparatione disserere curabimus; quare chilificationem, & sanguificationem dumtaxàt proponimus, examinandas, prout ad Medicum attinet, & nobis licet, proutque tàm statu sano, quàm in morboso, varia phenomena, observanda, hæc præstant actiones, quorum notitia Medicum carêre, piaculum foret, & de sciolorum nonnullorum more valdè immanis ignorantia, ut tenet Clariss. Joseph Lieutaud; (*b*) attamen cum hæc ipsa bipartita alimentorum præparatio, propriè dicatur illorum concoctio, ut Galenus docet (*c*) per hæc verba: *Vocatur autem alteratio ipsa* (alimentorum) *usque quo in similitudinem partis, quæ nutritur, transmutatur, concoctio, ubi verò jam parti applicatur, nutritio*, cui consonat Boërhaavius, (*d*) propterea sub

(*a*) *In lib. de Cib. bon. & mal. succ. cap. 3. circ. fin. & in com. 5. ad lib. 6. Epid. Hypp. tex. 1. & var. aliis in loc. suor. oper.*
(*b*) *Tom. 2. Prax. med. cap. de Laxant.* (*c*) *Lib. 8. de Comp.*

sub concoctionis nomine chilificationem, & sanguficationem tractabimus.

VI.

Est igitur coctio, quatenùs ad usus Medicos, à Galeno, & Boërhaavio immediatè citatis, consideratur, alteratio, seu præparatio alimentorum talis, qualis requiritur, & præcedere debet, ut ipsa fiant proxima materia nutritionis, seu corporum partibus applicari queant, ideoquè omnia, *chylopojectica* dicta, instrumenta, seu viscera, nec non & *Hæmatopojectica*, concoctioni inservire, supponendum est, pariterquè duplicem ín consideratione Medici adesse, debere continuò, materialem ex alimentis formatam concoctionem in corpore humano: Primam, nempè, humoris sani perfectè elaborati, & assimilati: & secundam, humoris alieni, inutilis, excretioni adaptati, & foras emissi; ambarum mentionem facit dignissimus Rusorum Archiater de Gorter, (*a*) & ambabus satis exprimitur omnis humorum sanorum, & morbosorum, diversissima apparens concoctio, maximè si cum Galeno, (*b*) universalius nomen concoctionis accipimus, *quando natura causis* (extraneis) *fortior fuerit, permutaveritque eas suo robore.*

VII.

Ergo viventis coctio prout distincta ab alimentorum digestione, quæ, Celso asserente (*c*) est (paritèr ac distributio) actio, qua ea per omnes corporis partes digeruntur, una tantùm specificè actio censenda videtur, ut opinati fueré nostri celeberrimi Heredia, & Enriquez, (*d*) ipsamquè à calore procedere apparet certum, ut tenet Aristoteles, (*e*) vel à calido innato, ut interpretatur noster Vallesius, (*f*) quin

(*a*) *In expos. Hyppoc. aphor.* 22. *sect.* 1. (*b*) *In com.* 2. *ad lib. Hyp. de Vict. rat. inacut.* (*c*) *In Proëm. lib.* 1. (*d*) *Propriis tract. de Coct.* (*e*) *In* 4. *Meteor. cap.* 3. (*f*) *In lib.* 7. *Controv. cap.* 10.

quin propterea non sit effectus actionis vitalis, ut passim Gorter, sed præcipuè loco citato, nec desinat esse propulsionem humorum per vasa, & viscera, ut Boërhaavius. (*a*) Siquidem Hallerio referente, calor animalium semper est in ratione directa celeritatum sanguinis circumducti, aut quadrata celeritatis, (in Leibniziana hypothesi) & in ratione inversa diametrorum vasorum.

VIII.

ERgo, cum semper natura videatur per similia instrumenta similitèr operari, auctore Galeno; (*b*) *& concoctio necessaria sit, quando nervi dolere solent, sicut in omnibus corporis affectibus, concoctio enim omnibus vitiis occurrit*; ut Celsus asserit, (*c*) temerarium haberi nequit, asserere, unam, eamdemque specificè actionem esse, ab unoque principio radicali exortam, concoctionem, præparativam dictam, alimentorum, & humorum morbosorum coctionem, illos alterantem, & criticæ expulsioni adaptantem, vel sanis assimilantem in curationibus, mediante resolutione, occurrentibus; quod videtur intentum Boërhaavii dum (*d*) ait: *Causa curans morbos est vita superstes, & propria cuique temperies*; qui & (*e*) tenet vitam superstitem, seu exercitationes functionum permanentium in morbis, esse propulsionem humorum per vasa, & viscera, integramque vitam unicè consistere in æquabili distributione liquidi vitalis per omnia vasa.

IX.

EX quibus deducitur, quod natura continuo opportuniniora suæ conservationi præparans, numquàm non intendit extraneorum, intra contentorum, propriis assimilationem, tum immiscendo alimentis novis antiquos humores

(*a*) §. 1090. *Inst.* (*b*) *Lib.* 1. *de Motu musc.* (*c*) *In lib.* 1. *cap.* 9. (*d*) *In* §. 1086. *Inst.* (*e*) *In* §. *citat.* 1090. *cum sua prælectione.*

res elaboratos, digestos, sæpè circum actos, & per omnia vasa corporis transactos, ut Boërhaavius tenet, (*a*) tum morbosam materiam alterando, mediante assimilatione, si omninò corrupta non est, vel alitèr illam corrigendo, ut fiat minùs noxia, & vitalibus motibus expulsionis obediens, ut Piquerius notat. (*b*) Quod fortius suadetur ex eo quod, in corporibus sanis concoctionem indicant excrementa, non secus ac in corporibus affectis, asserente Galeno, (*c*) & concoctio, (quæ est assimilatio humoris crudi non naturalis in coctum, seu naturam nostram, juxta Boërhaavium) (*d*) cognoscitur insuper ex quiete morbi, inter alia, & ex immunitione symptomatum, viribus vitæ constantibus, cum restitutione functionum, ex eodem; (*e*) ac proindè probabile resultat, omnem coctionem, in corpore humano peractam, sivè in statu sano, sivè morboso, nihil aliud esse, quàm exercitium actionis vitalis, intendentis naturæ conservationem per assimilationem totalem idoneorum, partialem infestorum, horumque, & inutilium expulsionem.

X.

AD prædictam unam, & universalem concoctionem, pluribus utitur natura instrumentis, supra insinuatis, ad easdem duas actiones, chylificandi nempè, & sanguificandi, pertinentibus; sed cum invariatis mediis his, diversi multoties resultent effectus præternaturales, diversas concoctionis species effingentes, hocque maximè proveniat à prava qualitate, vel excessiva quantitate alimentorum, diversimodè alterandorum in singulis visceribus chylopojecticis, & Hæmatopojecticis, propterea hæ duæ actiones præcipuum locum semper habuerunt in consideratione medica, *concoctio enim*, ut dictum est, *in omnibus corporis affectibus ne-*

(*a*) *In §. 126. num. 4. Inst.* (*b*) *In suis Institut. tract. 1. de Morb. prop. 4.* (*c*) *In lib. 1. Epid. Hypp. com. 2. text. 44.* (*d*) *In §. 927. prælect.* (*e*) *In §§. 6[illegible]7. & 928. cum prælect.*

necessaria est , & quod morbi gignantur , cruditas assidua maximè in causa est. Galeno teste ; (*a*) hoc ipso paritèr in præsentiarum , intempestivum minimè videbitur , aliquas Medicorum opiniones , circa duas istas actiones , singulatim examinare.

XI.

IMpenetrabile quamvis semper fuisse , (& erit fortasse) mechanismum naturale , alimenta prius in chylum , &, istud deindè in sanguinem , convertens , varia nihilominùs circa illud cogitati fuerunt , tùm Philosophi , naturam investigando , tùm Medici , ipsam , imitandam , observando; à trituratione alimentorum fieri chylum , credebat Erasistratus , quem impugnat Galenus , (*b*) ubi calidum innatum, pro chylificationis causa statuit : mediante putrefactione idem fieri , Empedocles cogitavit , & eadem sententia , quæ Plistonici fuit , non omninò explodenda videtur Boërhaavio: (*c*) Pytcarn. Hecquetus , & alii , restituere conati sunt Erasistrati triturationem , & ipsis opponitur Astruccius , fermentationem Wilisii , & aliorum substituens , citatusque Heredia tenet (*d*) chylum fieri fermentatione ; pluribusque omissis aliis , de Asclepiade narrat Galenus , (*e*) quod crudorum, & immutatorum alimentorum fieri credebat digestionem. ¡Tot homines , tot sententiæ!

XII.

SAnguificationem paritèr variè cogitatam fuisse , decet Historia Medica , Hepar apud antiquos , Democrito præeunte (*f*) causa est , medio calido innato , ut chylus convertatur in sanguinem , mediante chyli permistione cum hepatis carne , ita Galenus ubique ferè (*g*) apertissimè paritèr, ac

(*a*) *In lib. de Cib. bon. & mal. suc. cap.* 11. *circ. fin.* (*b*) *In lib.* 1. *de Natural. facult.* (*c*) *Tom.* 1. *Elem. Chym. part.* 1. *proc.* 88. (*d*) *In com. Hist. Appol.* (*e*) *In lib. cui titul. est* Finit. Medic. (*f*) *in Epist. ad Hyppoc. de Natur. humana*

ac peregrinè, asserit: *Chylum, instar mustum, in hepate fervère, & coqui, ut fiat sanguis*; (*a*) qui paritèr defendit: Sanguificationem fieri ab hepate, hoc ipsoque damnandos credit nonnullos arbitrantes ipsas venarum, (arteriarum propriùs) tunicas sanguinis esse creatrices, (motu suo contractionis, & dilatationis absdubio.) Cor aliundè creditum est sanguinis opifex; & primus Aristotel. (*b*) punctum rubrum saliens, vitæque initium in corde adnotabit; *conceptabulumque quoddam primi sanguinis in corde haberi*, convenire, asserit, (*c*) calore ab illo primitùs exorto interveniente principalitèr juxta ipsius sententiam; aliique quàmplurimi Auctores, ut Coringius, Hogelanus, Pecquetus, & Van-Horne, quos citat, & sequitur Gothofredus Moëbius (*d*) istud officinam sanguinis constituunt.

XIII.

SEd propè nostra tempora, acrius hæc viguit oppinio, dissidentibus tamen, & mutuo se opponentibus, permultis Auctoribus; alii namque cor sanguificare, asserunt, motum fermentationis inducendo, ita Cartesius, & Wiessens, referente Boërhaabio, (*e*) alii ex bilis, & lymphæ, cum sanguine concursu fieri, dicunt effervescentiam, qua accendi, & conservari, queat ignis noster vitalis in corde, ut tenet de Leboë Silvius, (*f*) pluresque alii, ut Etmulerus, (*g*) & Wilis, (*h*) interveniente fermentatione, cor sanguificare defendunt; interea quod Mechanismi Sectatores, à solo motu cordis chyli conversionem in sanguinem fieri, demonstrare, intendunt, nulla in corpore sano credita possibili fermentatione; ita celeberrima Boërhaviana tenet Schola, sui pri-

(*a*) *Et in lib.* 6. *de Hypp. & Plat. decr.* (*b*) *Lib.* 6. *cap.* 3. *de Hist. anim.* (*c*) *In cap.* 3. *de partib. anim.* (*d*) *Fundam. medic. Physiol. cap.* 12. *de usu cord.* (*e*) *In præl. ad* §. 179. *Inst.* (*f*) *In disp.* 10. *num.* 56. (*g*) *Part.* 1. *Instit. Medic.*

primi alumni, & præstantissimi fautoris memorati Alberti de Haller, geometricis demonstrationibus, & Physicis experimentis, suffulta.

XIV.

EX quibus, & pluribus similibus, quæ omitere cogimur, facilè percipitur, quantum in sanitate, simul & in morbis intersit, coctionis observare phenomena, ut opportunis auxiliis, illam tempestivè excitari, promovere, vel conservare possit Medicus; paritèrque resultat, non solum utile, sed inevitabile esse, his rite exequendis, chylificationem, & sanguificationem in utroque statu peractas, chimicis dogmatibus de fermentatione & putrefactione comitere, humorum enim partes, genera, vires, & mutationes, distinguere, sola Chymica pericia valet, ut tenet Boërhaavius; (*a*) ubi (& quidem meritò) dolendum credit, Medicos aliunde doctissimos, tam raro Chymicam penitùs perspexisse.

XV.

IGitur juxta nostri Martinezi sententiam (*b*) hæc Complutensis Schola diffinire solita est, putrefactionem per hoc quod sit, *corruptio mixti, media fermentatione dissolutiva suorum principiorum cum fœtore*, in qua definitione præcipua clarissimorum Chymicorum, dictata circa fermentationem, & putrefactionem continentur, imprimis namque, in illa supponitur fermentationem addesse in omni putrefactione, & hanc esse speciem illius generis; quod Sthal priùs expressis verbis asserit, (*c*) cui consonat Pompejus Saccus, De-Leboë Sylvium, & Wilisium secum adducens, (*d*) deindeque maxima Chymicorum parte admitente sub eodem genere, triplicem fermentationem, nempè, *vinosam, acetosam, & putredinosam*, ita Machyus, & Macquer infrà citan-

(*a*) *In 2. part. Colleg. Chym. de usu chym. in medend.* (*b*) *In sua Medic. scept.* (*c*) *In Theor. medic.* [illegible]

tandi cum Divionensibus Acadèmicis, & Jac. Reimboldi Spielmam, qui præter numeratas species, aliam fermentationem *fossilem*, & aliam *acidam*, distinctam ab acetosa statuit. (*a*)

XVI.

ENuntiatum suppositum de generalitate fermentationis opponitur Boërhavianæ sententiæ, (*b*) cui accedit recentissimè M. Bucquet, (*c*) & M. Baumé ex relatu Academicorum *de Dijón*, (*d*) postquàm clariss. Federicus Hoffmanus (*e*) asseruit, valdè diversos effectus sequi ex putrefactione, ac ex fermentatione, quare licèt hujusmodi disceptatio, difficilis judicii, saltim apud nos, à nobis ipsis credatur, interea quod certò non constat, tùm, an sempèr fermentatio convinationem, & putrefactio separationem comitentur: tùm, quem influxum præbeant pro duabus prædictis actionibus, fixa duo illa potentissima elementa, *Phlogisticum* nempè, & *Gas Silvester*, quorum primum absorvi, creditur, in fermentatione acida, secundo abundantèr evaporato in spirituosa, multòque præstitò acido gasseoso à materiis putrefactis, ut à præcitatis Academicis *de Dijón*, ex observatione MM. Machride, & Priestley enarratur, propthereà in Sapientium dissidentium honorifica acceptione, & suprà propositæ, putrefactionis definitionis prosecuturi explanationem, id, quod humorum corporis humani coctioni (cui hæc omnia) observandæ commodiùs videatur, dicere curabimus circa enuntiatam controversiam.

Om-

(*a*) *In tract. de Ferm.* §.92. *Inst.Chem.* (*b*) *In tom.*2. *Elem. Chym. de Hist. ferm. num.* 1. & 32. & *proces.* 88. *circ. finem.* (*c*) *Introd. al' Etude du Regne veget. tom.* 2. *sect.* 3. (*d*) *In tom.* 3. *Elem de Chym. cap.* 15. *des dissolutions par l.' Alkali* [illegible] (*e*) *In tom.* 6. *Opusc. pathol. pract.* 3. *de Putredin.*

XVII.

OMnis viventis corporis humorum alteratio, tàm in eorum fluentium massa contingens, quàm in ipsis, solidas partes, componentibus, experta, non potest non secum importare, (si chymicè, quatenùs decet, & licet, consideratur) vel solutionem plus, minusvè intimam *componentium*, cum separatione *integrantium* partium, vel novam compositionem (*christalizationem*, si placet) cum diversa principiorum unione, *præcipitationeque* opportunè interveniente; imò ipsa fermentatio, & putrefactio sequuntur (prout sensibus, & experimentis, hucusque constat) ex præmissis duabus illis generalibus operationibus, nempè, putrefactio ex resolutione alicujus corporis, & fermentatio ex sua nova convinatione, quæ co-fermentatio, hoc ipso dicitur apud Stalh *in Zymotechnia*, ubi ex relatu M. de Machy, (*a*) aliam cofermentationem *convinantem* assignat, quando partes modicè agitatæ convinantur, quia plùs, minusvè attenuatæ inveniuntur, & aliam *assimilantem*, quando diversæ partes homogeneæ mixti, per motum in libertate constitutæ, uniuntur in ratione suæ analogiæ, quæ, vel in quantitate, vel qualitate, vel pondere earum mollecularum, consistit.

XVIII.

HIs addere non repugnat, doctrinam traditam à celebrioribus Chymicis, præcipuè M. Macquèr, (*b*) & aliis, nempè: quod in cujuslibet corporis solutione, sempèr simùl adsit aliqua nova compositio, idem asserente expressè paritèr, ac scientèr, (quidquid dicat Paulian) (*c*) Lemeri, (*d*) per similia verba: *Coagulatio, ab acidis facta, est quædam imperfecta dissolutio, ut plurima suadent exempla.*

Cu-

(*a*) *In tom. 6. Elem. de Chymie chapitre premier.* (*b*) *In Dictionnaire de Chym. in art.* Solutio, Dissolutio, Christalizatio. (*c*) *In Dictionnaire Physique, articul. Coagulation.*

Cujus causa non alia videtur esse, nisi quia cum in omni solutione interveniant, ignis, tritus, vis repellens, & vis attrahens, actioque mechanica, quibus omnibus, vel alterutris, menstrua in solvenda, agùnt, nequeunt non resultare in eadem actione, attenuatio, concretio, imminutio, & separatio, ut Boërhaavius docet, (*a*) quod confirmatur, tum ex citato Paulian, (*b*) dicente: adesse in omni fermentatione, dissolutionem, evolutionem, calorem, effervescentiam, inflationem, præcipitationem, exaltationem, evaporationem, coagulationem, & christalizationem; tum ex Baume, (*c*) qui concludentèr intelligit, quod semel facta sufficiente corporum dissolutione, possunt uniri plurima, quæ anteà minùs apta convinationi credebantur.

XIX.

EX quibus, & ex demonstrato in omni fermentatione, & putrefactione, concursu graduati caloris, simul, & accomodæ singulari ex his operationibus fluiditatis interventu, cum, non satis quidem hucusque explorato, sed tamen invitabilitèr influente, áëris concursu, resultat I. quod ignis, juxta Vallesium nostrum, (*d*) subtilissima omnium creaturarum substantia, per omnes reliquas permeans, cuncta fœcundans, & aliquomodo vivificans, & à cæteris substantiis, ab aqua præcipuè, alimentum, seu pabulum capiens, ipsique aquæ fluxibilitatem solus tribuens, & juxta Boërhaavium, (*e*) subtilitèr incomprehensibile ens, Gentibus olim Sapientissimis Deum creditum, omnium fere sensibilium nostrorum effectuum auctor princeps, & causa, in cujusvis corporis loco, sine assignabili quiete semper præsens, distributus, & componentia elementa extraneo motu à propria

(*a*) *In tom.* 1. *Elem. Chem. tract. de Menst.* (*b*) *Art. ferm.* (*c*) *In suis lection. Chym. exprim. tract. de Affinit.* (*d*) *In sacra Philosophia, cap.* 1. (*e*) *In tom.* 1. *Chem. Elem. tract. de Igne.*

pria unione removere intendens, sed intereà propter ad inventam in singulis ipsorum assotiantem, & arctantem innatam *vim gravitas*, aut *centripetam*, sæpissimè coactus, ostendere actionem, & reactionem, ubique mirabilem: ignis (repetere liceat) unicum elementum activum, duarum prædictarum mutationum in mixtis evenientium, & auctor sit, infertur.

XX.

RESultat II. aquam simul cum igne ad fermentationem, & putrefactionem concurrere materiam, passivè disponendo; *aqueum enim est, quon in musto fervet, & in omnibus succis* (fermentabilibus) *ebullitionem efficit, & corruptionem, si neque devictum, neque planè alteratum est:* alloquente Galeno; (*a*) & cum his duobus, igne, videlicèt, & aqua, non superatis mutuò, homo, & animalia reliqua constituantur, neque sua corpora aniquilatione corrumpantur, sed tantùm diminui, augeri, secerni, generari, & corrumpi patiantur, mutata suorum principiorum collocatione, & permixtione, alteratisque suis qualitatibus, quæ multas, & omnigenas formas, ac species, tùm seminum, tùm animalium, secernunt, cum numquam in eodem consistant, ut Hyppocrates tenet: (*b*) Resultat III. quod, ad usus Medicos considerata fermentatione, & putrefactione, (ad asus Chymicos, alitèr sentiendum cum Boërhaevio) una, & eadem haberi possit actio, tendens in eumdem finem, mediis licèt diversis; quatenùs scilicet in omnibus viventibus observatur, pariter, ac in reliquis mixtis liquidis non viventibus, motus aliquis intestinus, ab igne excitatus, quo, tàm in statu cujusque vitæ proprio, & naturali, quàm in præternaturali, sponte evenienti, vel ab externa causa producto, freqüentissimas mutationes, ipsa experiuntur viventia, variis temporibus, & suis partibus componentibus, ab aqua sufficien-

(*a*) *In lib. 3. cap. 14. & in lib. 4. cap. 22. de Simp. med. fac.*

cienter fluidis factis, omnimodeque alteratis, diversas, & sæpé oppositas proprietates adquirunt, donec totali, vel integra putrefactione, desinunt esse; quod totum, fermentatio dicitur, à citatis Divionensibus Academicis. (*a*)

XXI.

RESultat IV. Putrefactionem suprà deffinitam, non esse totalem, insinuatam, & quæ contingit, quando omnibus aliis principiis resolutis, & cum fœtore evolantibus, sola terra manet iners, & informis, sed Medicis allatam deffinitionem, intelligi de partiali, vel incompleta putrefactione contingenti, quando manentibus omnibus, vel præcipuis corporalibus elementis componentibus mixtum, parvo, vel nullo fœtore misso, solæ modificationes, & accidentia exterioris formæ deperduntur, in una, vel pluribus partibus, (quod in viventibus, morbus dicitur) vel in toto (quod mors apellatur in eisdem) deficiente necessaria partium unione, mutataque crasitie, & consistentia naturali, in tenuitatem, mollitiem, & laxitatem præternaturalem, ut explicat Heredia noster, (*b*) cui consonat Verulamius. (*c*) Hæc proinde incompleta putrefactio est fermentatio præternaturalis, à Neotericis recepta in morbis præcipue febrilibus: Putrefactio *infieri* Galenicarum febrium putridarum: & Putrefactio disseminata, quam in omnibus febribus observat clariss. Recentior D. Ludovicus Pereyra, in suo cunctis commendatissimo opere, Hispano Idiomate edito. (*d*) Et utraque putrefactio, sic explicita, est quædam species corruptionis, nempe dissolutivæ, distincta propterea à corruptione orta à deffectu, vel læssione principii vitalis unice; velut Fernelius loquitur, (*e*) sola extinctione, aut dissipatione calidi in-

(*a*) *In tom.* 3. *cap.* 15. *pag.* 234. *& seq.* (*b*) *In tractat. cit. de Coct. quæst.* 6. (*c*) *De interp. nat. calor.* §. 929. (*d*) *De*

innati, quæ simplex corruptio ab ipso dicitur: non consummata in morbis, & consummata in morte.

XXII.

TAmen ex eisdem, neque ex omnibus in præsentiarum traditis, non resultat, quod observatus, in viventibus animalibus, intestinus motus, diversas in ipsis alterationes, & novas proprietates efficiens, dici, mereatur fermentatio, aut putrefactio, vere, chymiceque loquendo, motus enim ille in solitaria, tempestiva, & necessaria (his exequendis mutationibus) quiete humores animales morari non sinens, utramque, impedit, perfici, tàm in chylificatione quàm sanguificatione, salubriter adeptis, & licet pro diversitate materiæ alimentorum in ventriculo calido, & humido, fermentescere ipsa inciperent, vel putrescere, non nisi deffectu optatæ sanitatis, id evenire, credendum est, attenta ratione relata, & pluribus aliis, ex chymicis principiis desumptis; neque excretorum inutilium putrefactio, in loco, illi destinato, peracta, & puris, albi, æqualis, levis, inodori, vel non fœtentis, propterea que analogicè tantùm talis, confectio, ab ipsa identica, concoctiva, actione vitali, producta, oppositum suadent, quin dyathesi morbosa vigente, freqüentes denegare, liceat, fermentationes, & putrefactiones, plus, minusvè protractas, in primis, posteriores, quæ, licèt non planè, propriores tamen sunt, quàm fermentationes, vel ventriculo in sano, asserente Hallerio, (*a*) pro cujus faciliori captu, sicut, & plurimorum aliorum phenomenòrum, inevitabilitér sciendorum, multa dicenda restant, quæ inviti relinquimus, unicè dicentes cum Hyppoc. (*b*) *Quod ignis, & aqua, sufficentia sunt omnibus, per omnia ad summum, ac ad minimum similitèr*; & ut finem pro nunc impona-


(*a*) *In lib.* 19. *sect.* 4. §. 29. *Elem. Physiol.* (*b*) *Lib.* 1. *ci-*

namus : Putrefactionem Chymicam, concoctionem, & animalizationem, analogicè, convenire, asserere, minimé temerarium tenemus.



Locum certaminis præbet maximum Theatrum Litterarium Universitatis Complutensis; die 30. mensis Junii, prædicti anni.

Mané, & Vesperé. Horis solitis.



Ex Officina D. Mariæ Espartosa, & Briones, Typographæ Regiæ Universitatis.